

terpretari, vt, quomodo versandum in imitandis scriptorum veterum locis esset, quatenusque aliena suo premere pede liceret, eo facilius viderent tirones, eiusque adeo carmina, vt facile possent comparari, neque male, vt fit, emerentur, de nouo edere Sed ante, quam de ipsa hac eorum editione plura dicamus, paucis diluenda videntur esse, atque infirmenda, ea, quae contra nostrum hoc consilium dici posse intellego.

Etenim haud scio, an multi futuri sint, qui contendendum quam maxime, elaborandumque, aiant esse in eo, vt Anacreon, qui, non, vt Gorgonius, hircum, nec, vt Rufillus, pastillos, sed vina mera, redoleat, nilque, nisi multo Venerem cum vino confundere, praecipiat, si non eiiciatur e ciuitate eruditorum, at certe, vt pestifer, virtutisque, ac pudicis moribus, inimicissimus, ciuis, opprimatur, neque ei honoris habendum hoc, vt eius odaria saepius emitantur; multo autem maxime cauendum esse, et providendum, ne illa adolescentibus a magistris scholarum enarrentur. Sed quam leuis sit, et vana, haec reprehensio, facile, puto, doceri poterit, et demonstrari. Neque enim cani ab Anacreontis Musa facta Atridarum, Cadmiue fata, sed Amoris pharetram, et tela, Liberique munera, res quidem est confessa, atque manifesta. At primum id fit verbis, non turpibus, nec obscenis, sed verecundis, et honestis, quae neminis aures pudicas temere offendant, neque lectorum ora, vt lasciuia Ouidii Ars, Catullique Elegi leues, rubore facile notent.¹ Deinde Amorem, et Vinum, res esse per se honestas constat,² de quibus nemo facile, si modice quidem iis, nec nimis crebro,

c 5 et

1. Vid. odor. 29, 37. 51, 10. 29. 52, 22. 24.

2. Vid. Plato Sympof. c. 8. et Gellius NN. AA. 17, 20.